

gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatos, &c. Hæc omnia quasi impia, et sacrilegia repleta condemnata, &c. ergo Lucidus, ipso fatente, fuit Prædestinarianus.

Prob. 2. ex Fausto Regensi Episcopo. Is prius scripserat Epistolam Lucido, qua ipsum fraternè hortabatur ad ejurandos suos errores, sin ipsum denuntiaturum Patribus Conc. Arlatensis. Errores autem, quorum retractationem a Lucido exigit, sunt sex, & in multis convenit cum iis, quos Lucidus in libello ejuravit.

Idem Faustus in præfatione, seu Epistola nuncupatoria operis de gratia, & libero arbitrio ad Leontium Arelatensem, qui fuerat Concilii Præses, narrat provinciam confutandi doctrinaliter errores Lucidi in Concilio damnatos sibi demandatam fuisse, & alterum Conc. Lugdunense paulo post congregatum eosdem errores cum aliqua additione proscripsisse, his verbis: *Domino Beatissimo, & Reverendissimo Leontio Pape, Faustus. Quod pro sollicitudine Pastoralis, Beate Papa Leonti, in condemnando Prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregatis, universis Galliarum Ecclesiis præstitit. Quod vero ad ordinanda ea, que collatione publica doctissime protulit, operam infirmis humeris, curamque mandastis, parum, ut reor, tanto negotio, parum sanctæ existimationi vestræ consulistis, & me iudicio charitatis, vos periculo electionis onerastis. In quo quidem opusculo, post Arelatensis Concilii subscriptionem novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit: ergo juxta Faustum Synodus Arelatensis, & Lugdunensis agnoverunt, damnarunt hæresim Prædestinarianam: ergo non erat ficticia.*

Hæc autem monumenta, scilicet libellus Lucidi, Epistola Fausti ad Lucidum, & Præfatio, seu Epistola nuncupatoria Fausti ad Leontium Arelatensem leguntur in collectione Conciliorum Labbeana, in Bibliotheca Patrum Editionis Lugdun., in antiquioribus manuscriptis: ita ut nullus, sive Catholicus, sive Hæreticus, qui conclusioni nostræ adversatur, eorum authenticitatem neget: sed

Obijciunt 1. Fausto, a capite ad talos semi-Pelagiano, nullam fidem hac in parte esse adhibendam. R. 1. Faesor, Faustum fuisse semi-Pelagianum, & provinciam sibi a Concilio demandatam confutandi errores Lucidi limites transilisse, docendo in duobus libris de grat. & lib. arbit. dogmata semi-Pelagiana. At non unius Fausti testimonio nititur conclusio nostra, sed potissimum testimonio ipsius Lucidi, qui se erroribus, quos ejurat, adhasisse fatetur, & auctoritate Conc. Arelatensis, a quo sua dogmata esse jure damnata agnoscit ipse Lucidus, R. 2. non esse credibile, Faustum quantumvis semi-Pelagianum hac in re mentitum fuisse. Exponit siquidem in præfatione sui operis ad Leontium Concilii Arelatensis Præsidentem, ipsum cum cæteris Episcopis proscribendo prædestinationis errores singulare beneficium Galliarum Ecclesiis præstitisse, gravem, & onerosam esse provinciam a Concilio sibi demandatam, ejus decreta ordinandi, & Lucidi errores confutandi: addit in fine Synodum Lugdunensem, novis erroribus deprehensis, aliqua adjici exegisse. Quis autem credat, Episcopum aliquam pietatis, & eruditionis fama celebrem, qualis erat Faustus, illustrissimo, & sapientissimo Metropolitæ, atque universis Galliarum Episcopis imponere ausum fuisse, & Synodos in duobus nobilissimis urbibus nuper habitas finxisse? Equidem, ut merito observant Cardinalis Norisius, & noster Natalis Alexander, si de remotissimis Asiæ rebus ad Leontium scripsisset Faustus, quædam ab eo conficta fuisse, non foret incredibile: sed quod Concilia Arelate, & Lugdun. a Leontio Arelatensi nuditer celebrata, sancta eorum decreta, sibi ab eis demandatam provinciam supposuerit, ad ipsum Leontium scribens, nemo sensatus crederet.

Obijciunt 2. hæc duo Concilia fuisse semi-Pelagianorum conventicula, aut saltem Episcopos in eis congregatos præ simplicitate, & inscrua a Fausto semi-Pelagiano fuisse deceptos. R. Hæc omnino gratis fingi; quinimo juxta Sidonium Appollinarem libr. 6. Ep. 2. & 12. l. 5. Ep. 25. libr. 7. Ep. 3. Baronium ad

ann. 490. n. 24. & ipsum Usserium Britan. antiq. cap. 13. hi Episcopi erant doctrina, & pietate conspicui.

Instant: Hi Episcopi approbarunt libros Fausti de grat. & lib. arbit. erroribus semi-Pelagianorum scateantes: ergo erant semi-Pelagiani. Prob. Ant. ex Ep. nuncupatoria Fausti ad Leontium, ubi in fine dicit: *In quo quidem opusculo post Arelatensis Concilii subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exigit.* R. Hanc subscriptionem non spectare ab libros Fausti de grat. & lib. arb. siquidem eos non nisi post Concilium, & ex ejus mandato elucubraverit, ut patet ex initio ejusdem Epist. nuncupatorie. Quidam dicunt, spectare ad Epistolam Fausti ad Lucidum, quæ in pluribus Editionibus exhibetur subscripta a 12. Episcopis; sed cum in antiquioribus manuscriptis hæc subscriptio ad Ep. Fausti non reperitur, & Faustus in hac Ep. loquatur in propria persona, & non nomine Concilii, verius existimo hanc subscriptionem, de qua loquitur Faustus, spectare ad condemnationem errorum Lucidi a Concilio latam.

Urgent: Libellus Lucidi continet errorem Pelagianum, hunc scilicet, primam Dei gratiam esse legem naturæ: sic enim dicit Lucidus: *Danno sensum illum, qui dicit, ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos, eo quod liberum arbitrium in primo homine perdidit.* R. per primam gratiam in hac propositione non intelligi legem naturæ præcisè sumptam, sed spectatam cum gratia, quæ ex adventu Christi futuro in illam redundabat. Unde hæc verba: *Per legem naturæ, conjungenda sunt absque virgula, cum his, in adventum Christi; quod patet ex sequentibus; subjungit enim paulo post Lucidus: Asero etiam per rationem, & ordinem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysis, alios lege naturæ, quam Deus in omnium corâbus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos, tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis, non absolutos.* Et sanè, si tam libellus Lucidi, quam Epistola Fausti fulgine Pelagiana, aut semi-Pelagiana tincta fuissent, hæc intacta non reliquissent tot, & celeberrimi Scriptores, qui in opus Fausti de grat. & lib. arbit. tunc temporis insurrexerunt.

Obijciunt 3. S. Prudentius Trecentis sæc. 9. libr. contr. Joann. Scotum Erigenam cap. 4. & Florus Magister scribens nomine Ecclesie Lugdun. contra eundem cap. 4. negant exitisse hæresim Prædestinarianam sæculo V. ergo. R. hos Scriptores in hunc facti errorem lapsos fuisse, quia admodum pauci, & obscuri nominis fuerunt hujus hærescos assertores, ut modo dicam. His autem eodem tempore contradixerunt Synodus Moguntina, & Carisiaca, Rabanus Maurus, Hincmarus, qui in Synodo Valentiniana protulit Epistolam Fausti, & libellum Lucidi, & alii.

Secunda pars Concl. Prob. 1. ex eo, quod nullus alius præter Lucidum proferri possit, qui hanc hæresim tunc temporis defenderit, nisi forte quidam ignotus in Italia, quem Ennodius Episcopus Ticinensis (*de Pavia*) in Epistola ad Constantium tacito nomine refellit, eo quod assereret liberum arbitrium homini deteriorem tantum in partem datum, quod unum erat ex captivibus Prædestinarianæ hærescos, sed quem sua refutatione sic compescuit Ennodius, ut error vix natus fuerit extinctus, ut fatetur ipse Jo. Baptista du-Chesne in hist. prædestinant. l. 2. cap. 2. Quamvis iste nuper Societatis Scriptor hanc hæresim longè lateque propagatam fuisse, suadere vellet, si posset, in idque omnes præclari ingenii nervos intendat, sed irritò conatur.

Prob. 2. ex Can. 25. II. Concil. Arausicani, 50. circiter annis post Concil. Arelat. congregati, in quo sic legitur *Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus; sed etiam, si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Qua loquendi formula, si qui sunt, qui tantum malum credere velint, aperte innunt Patres Synodici, Lucidum paucos admodum, aut fortè nullos habuisse socios, sequè nullum certo agnoscere, qui tunc ejus erroribus adhaereret.

TRACTATUS

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO

D. Thom. a Quest. 27 ad 3.

CUM sacrum hoc Mysterium sit totius Religionis nostræ fundamentalis articulus, antequam Metaphysicas ac salebrosas de eo quæstiones ingrediamur, opportunum duxi, ejus veritatem ac existentiam asserere, & quid de illo lumine naturali cognosci potest, edicere. Unde sit

DISSERTATIO PROËMIALIS DE VERITATE,

& cognoscibilitate mysterii SS. Trinitatis.

ARTICULUS I.

Recentur præcipua Hæreses adversus SS. Trinitatis Mysterium.

RES fuerunt præcipue Hæreses adversus hoc Mysterium. Prima fuit Sabellii, qui negavit distinctionem personarum. Secunda Arii, qui negavit earum consubstantialitatem. Tertia Macedonii, qui divinitatem Spiritus sancti impugnavit. Ad hæc tria capita omnes in hac materia Hæreses revocari possunt.

Sabellianismus.

HUJUS Hærescos Auctor primus fuit Praxeas, ex Asia oriundus, sub initium 3. sæculi, teste Tertulliano libr. contra eundem Praxeas cap. 1. ubi dicitur: *Ita duo negotia diaboli Praxeas Praxeas praxavit: Prophetiam repulit, & Hæresim intulit: Paraclætum fugavit, & Patrem cruci fixit.* Dicit, *Paraclætum fugasse*; quia Montanum, qui dicebatur Paraclætus, ut Hæreticum denunciaverat Romano Pontifici; & in hoc erravit Tertullianus. Dicit, *Patrem cruci fixisse*, quia, cum Filium incarnatum a Patre non distingueret, Patrem cruci fixisse affirmare assererat; unde & hujus Hærescos Patroni Patripassiani dicitur.

Noxus, Ephesinus juxta Epiph. vel Smyrnæus juxta Theodoretum sub ann. Christi 245. eandem Hæresim instauravit, quam Sabellius ejus discipulus circa ann. Christi 257. suo nomine & patrocinio celebrare fecit: unde dicit Sabellianus, qui eam propugnare, appellati sunt etiam Monarchii, quod unam in Deo personam agnoscerent.

In hoc ergo versabatur error Sabellianorum, quod unam tantum in Deo personam agnoscerent, quæ tamen propter diversos effectus aut multa diceretur Pater, Filius, & Spiritus S. Pater proit ingenta & creandi principium; Filius proit incarnata; Spiritus sanctus proit sanctificans animas: sicut idem sol dicitur illuminativus, calefactivus, & productivus, quia habet virtutem illuminandi, calefaciendi, & producendi; hoc exemplo utebantur.

Contra Sabellium scripsit ad Dionysium Romanum Pontificem S. Dionysius Alexandr. qui, dum Sabellii errorem acriter exagitat, in aliud extremum quibusdam visus est declinare, & Ariam Hæresim præformasse; de quo infra.

Damnata primum fuit hæc Hæresis ab eodem S. Dionysio Alexandr. in Synodo Alexandriæ coacta anno 319. deinde in Conc. Mediolanensi ann. 347. & Sirmiensi ann. 357. congregatis adversus Photinum Sirmiensem Episcopum (*Sirmich*, urbs in Hungaria) cujus Hærescos primum caput erat, Deum solitarium esse more Judaico consentendum, nullam Verbi Divini, aut Spiritus S. esse personam, quæ unam esse Patris, & Filii, & Spiritus S. operationem. Quæ ipsissima est Sabellii hæresis: ex Socrate l. 2. c. 24.

Potest etiam dici hæc Hæresis prædamnata in Concilio Antiocheno ann. 270. contra Paulum Samosatenum Antiochiæ Episcopum, Photini Magistrum, Sabellio coætaneum, cujus error circa Trinitatem Sabellianismo affinis erat. Etenim Trinitatem divinarum personarum, non secus ac Sabellius, e medio tollebat, Verbum quidem Patri coætænum asserens, sed sine hypostasi distincta, quam tunc 1. habere cepit, cum se in Jesum ut hominem purum insinavit; hæcque temporali missione & externa prolatione evasisse Filium. Hoc tamè erat discrimen inter utriusque Hæresim ex Leontio de secis act. 3. quod Sabellius eundem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum S. Deumque rem trini nominis appellabat, nullam prorsus Theol. Billuart. Pars Prima.

sis esse Trinitatem statuens: Paulus verò non eundem dicebat esse Patrem, & Filium, & Spiritum S. sed Patrem ajebat illum esse Deum, qui omnia creasset; Filium purum illum hominem, Spiritum illam gratiam, quæ supè Apostolos venerit. Adde, quod Paulus Samos. diceret; Verbum in Christo operatum duntaxat fuisse, non passum; quod tamèn effutiebatur Sabellius.

Arianismus.

ARIUS, ex Lybia ortus, ea parte qua Ægypto vicina est, externa corporis specie ad gravitatem & modestiam erat compositus, novitatum avidus, dialecticis argutis apprime instructus. Prius fuit Schismaticus, quam Hæreticus; Meletio enim se adjunxerat: a quo secedens, ordinatus est Diaconus a S. Petro Alexandr. sed cum iterum ad Meletium defecisset, ab eodem S. Petro Ecclesia pulsus est; in quam tamèn, mortuo S. Petro, iterum rediit, & ab Achilla Presbyter ordinatus, Ecclesie Parochiali Baucalensis præfectus fuit. Invidia motus, quod S. Alexander, eo neglecto, ad Sedem Alexandrinam assumptus esset, in apertam hæresim adversus divinitatem Verbi erupit ann. 317. Cum enim S. Alexander in conventu Ecclesiastico de SS. Trinitate dissereret, & Filium Patri honore parem & consubstantialem assereret, ipsi palam restitit Arius, asserens unum esse verum Deum proprie dictum, nempe Patrem, solum æternum, solum verum, &c. qui Filium unigenitum genuit: hunc autem Filium seu Verbum non esse consubstantialem Patri, sed creaturam perfectam, ex nihilo, seu ex non-existentbus creatam, fuisse tempus cum non esset, mutationi obnoxium esse, participatione tantum & principatu gratiæ nomine Deum dictum. Hinc hymnum glorificationis invertit, suos cantare docens: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Erravit etiam Arius circa Mysterium Incarnationis, asserens Verbum corpus inanimatum assumpsisse, & divinitatem animæ partes suppluisse. Hæc constant ex Ep. Synodica S. Alexandri, ex Ep. Synodica Concilii Nicæni, ex S. Athanasio orat. 2. contra Arianos, ex Ep. ipsius Arii & primorum discipulorum ad S. Alexandrum, quam refert S. Athanasius in Ep. de Synodis Arimini & Seleuciæ; ex ipsa *Taleia* Arii, quæ erat cantilena mollis & impura, in qua omne suæ Hærescos virus expresserat.

Hanc nascentem Hæresim in Synodo Alexandriæ congregata 100. Episcoporum statim contexit S. Alexander, sed non extinxit: damnatus enim Arius fugit in Palæstinam: ubi hujus & ipsius errorum patrocinium inter cæteros suscepit præcipue Eusebius Nicomediensis, qui Concilio in Bithynia coacto recepit Arium ad communionem, & cum suis gregalibus litteras dedit ad omnes Episcopos, ut eundem Arium ad communionem admitterent. Hujus etiam defensionem suscepit alter Eusebius Cæsariensis, item & Constantia Augusta Constantini Magni soror.

Constantinus, ut huic incendio occurreret, assentiente S. Sylvestro, Concilium Nicænum 318. Episcoporum convocavit, in quo Arius damnatus cum suis Discipulis in exilium amandatus est; sed ann. 330. agente Constantia morti proxima revocatus est; & emissa fidei professione equivoca, mandato Imperatoris anno seq. Alexandriam reversus est. Restitit S. Athanasius, tunc Patriarcha Alexandrinus, nec litteris, nec minis Imperatoris flecti potuit, ut Arium in communionem reciperet.

Anno 335. restitutus fuit Arius communioni per Eusebianos in Concilio Jerosolymitano; sed cum plebs Alexandrina ipsum ab ingressu Ecclesie arceret & ut hæresicham semper execraretur, urgentibus Arianis, qui in Concilio Constantinop.

adversus Marcellum Ancynarum Nicæne fidei defensorem con-

vinebant, Imperator Arium vocavit Constantinopolim, ubi fi-

dei Nicæne formulam juravit perfidus hæresiarcha, juramen-

tum suum restrictioni mentali referens ad aliam hæreticam

formulam, quam sub alareconditam habebat, ut refert So-

crates.

Hinc præsensit S. Alexander, tunc Constantinopolitanus

Antistes, Arium triumphaturum, ideoque cum S. Jacobo Nisi-

bis Episcopo, ad preces & jejunia confugit, quorum votis an-

nuens Deus Arium communione simul & vita privavit; Sab-

batho namque præcedente Dominicam, qua ejus fautores jac-

taverat se illum in Ecclesiam introductores, animam simul

cum visceribus in latinis effudit; ut narrat S. Athanasius

orat. 1. contra Arianos, S. Epiphanius Hæresi 69. Socrates l. 1.

c. 25. Sozomenus l. 2. c. 28.

Ariana Hæresis ptegressu temporis in tres sectas divisa

est. Prima Filium Dei in omnibus dissimilem propugnabat,

undè *Anomei*, id est, dissimiles dicti. Hujus principes erant

Aetius, Eunomius, Eudoxius: his adhæserunt Valens, Ursa-

cius, Germinius, Auxentius Mediolanensis, & alii. Secunda

secta fuit Semi-Arianorum, qui *Homoionism*, seu Filium Pa-

tri consubstantialem negabant, sed per omnia similem asseren-

dant, adeoque *Katoustan* dicebant, & *Homoionism*, id est,

similem Patri; quod in Ancynara Synodo anno 358. edita fidei

formula professi sunt. Hujus factionis Principes fuerunt Basilus

Ancynanus, Macedonius Constantinopolitanus, qui postea

Hæresim contra Spiritum S. vulgavit, Meletius Antiochenus,

quibus favit S. Cyrillus Hierosolymitanus. Utrum idè Hære-

tici fuerint, quod vocem *homoionism*, non *homoionism*, admitter-

ent, discutimus infra in digressione historica. Tertia secta fuit

Acacianorum a suo Principe Acacio Episcopo Cæsariensi dicta.

Hæc Filium prædicabat, non substantialem Patri, ne-

que unam ex creaturis, sed similem, non tamen substantia vel

ousia; undè neque *homoionism* cum Catholicis, neque *homoionism*

sim cum Semi-Arianis, neque *anomeionism* cum Anomeis, sed

homoionism propugnabat, hoc est, similem Patri; qualiter statua

est similis homini, quem representat.

Macedonianismus.

Macedonius primùm fuit Diaconus Ecclesie Constantinop.

sub S. Alexandro hujus sedis Episcopo. Deinde Eusebio

in ipsa Sede Constantinop. successit ope Arianorum, & inter

varias civium cedes, reluctans Catholicis, qui Paulo prius

ordinato adhærebant, tempore Episcopatus Cæsariensis variis

crudelitibus vexavit: sed cum ausus fuisset Constantinum Mag-

nifici corpus ex templo Apostolorum, inscio Imperatore Con-

stantio, aliò transire, gravem idè seditionem in populo

excitavit, & Imperator sibi infensum reddidit, ac tandem in

Conciliabulo Constant. ann. 355. ab Acacianis Episcopatu abdi-

caatus est.

Stabat ipse a partibus Semi-Arianorum, qui, licet *homoionism*,

seu consubstantialem rejiceret, admitterebant tamen *homoionism*,

seu similem in substantia; quin imò, ut quibusdam

placet apud D. Fleury t. 3. l. 14. n. 30. post abdicationem,

homoionism admitteret; sed tunc ann. scilicet 360. novam suam

Hæresim disseminare cepit; asserens Spiritum sanctum non

esse ejusdem cum Patre & Filio substantie ac honoris partici-

pem, sed utriusque ministerium ac creaturam: undè etiam *Pne-*

matici dicti sunt, id est, Spiritus sancti impugnatores.

Huic perfidie adhæserunt Basilus Ancynanus, Eustachius

Sebastenus, Eleusius Cyzicus, & alii omnes Episcopi, qui ab

Acacianis fuerant depositi in Conciliabulo Constant. ann. præ-

cedenti; item magna multitudo populi Constantinopoli, in Bi-

thynia, Thracia, & Hellesponto, & denique in variis aliis na-

tionibus, Macedonianorum moribus apparenter piis ac com-

positis difusi. Hanc nascentem Hæresim partim studio, partim

pecunia maxime auxit Marathionius discipulus Macedonii,

& Episcopus Nicomedensis, ita ut Macedoniani a pluribus

Marathionium vocarentur. Contra hanc Hæresim calamum acu-

re S. Athanasius, in Eremito fugiendæ persecutionis causa lati-

tans, in l. de Spiritu S. ad Scrapionem, S. Basilus in libr. de

Spiritu S. ad Amphilochem, S. Gregorius Nassenus libr. de

SS. Trinit. &c.

1. Damna fuit hæc hæresis in Synodo Alexandrina post

reditum S. Athanasii, celebrata ann. 362. 2. In Synodo Ilyrici

ann. 367. 3. In Synodo Romana, quam paulo post celebravit

Damasus Papa. 4. In altera Synodo Romana, quam adversus

Appollinarem habuit idem Damasus. 5. Tandem in Concilio

Oecumenico II. quod est Constantinopolitanum I. celebratum

ann. 381. Kalendis Maji, Damasi Pontificis anno 15. imperan-

tibus Valentiniano, Theodosio Seniore, & Gratiano. In eo

non solum Macedoniani, sed & Photiniani, Sabelliani, Apol-

linaristæ, & iterum Ariani anathemate fuerunt confixi, ut cons-

tat ex r. ejus Canone. Item editum est Symbolum, quod ca-

Socinianismus, & alii errantes circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

Sub Socinianorum nomine comprehendimus hos omnes,

qui circa medium sæculi 16. jam dudum sopitas Sabelli,

Arii, & Macedonii Hæreses suscitaverunt, quorum duces præ-

cipui fuere de grege Lutheranorum & Calvinistarum, *Mi-*

chaël Servetus Hispanus, Genevæ, agente ipso Calvino, com-

bus, *Valentinus* Neopolitanus, Betnæ flammis etiam tradi-

tus, *Joannes Campanus*, *Paulus Alezius* Mediolanensis, *Læ-*

lius Socinus Senensis, *Faustus Socinus* Lælii nepos, Calvinista.

Hi omnes, licet plura circa Trinitatem impia dogmata non uno

sed diverso & confuso modo traderent, & ventilarent inter

se, in hoc tamen omnes convenerunt, ut SS. Trinitatem negan-

tes dicerent, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres

quidem esse, non tamen tres personas, nec ejusdem substan-

tie, solum Patrem verum esse Deum. Unde *Trinitarii*, &

novi Ariani vocati sunt: item & a suis Authoribus dicti sunt

modò *Capantia*, modò *Valentiniani*, modò *Servitiani*, sed

frequentius *Sociniani* a *Fausto Socino*, qui hanc sectam cele-

brorem fecit & latius disseminavit, maxime per Poloniam &

Transilvaniam, undè etiam dicti Transilvani; obiit Lutæciis

in Polonia ann. 1604. ætatis 65.

Hic inter alia docebat cum Sabellio, *In essentia divina*

unicam esse personam Patris, & implicare Deum unum in essen-

tia, & trinum in personis. Cum vero, *Filium Dei, seu Chris-*

tum, nec personam divinam esse, nec Deum: appellari tamen

Deum metaphoricè, & improprie ob potestatem sublimem a *Pa-*

tre vero Deo participat. Cum Macedonio, *Spiritum S. esse*

quidem virtutem & efficaciam Dei, sed non inde sequi personam

esse divinam.

Errantibus contra Trinitatem adjungi possunt Gentiles, Ju-

dei, & Mahumetani, qui cum Deum esse agnoscant, trinum

in personis negant: *Impossibile est,* inquit Mahumetes, *Deum*

generare Filium, quia uxore caret. Dignam suo Authore sen-

tentiam! Item Petrus Abaylardus, qui juxta S. Bernardum

Ep. 190. ad Innoc. II. inter alios errores, *probant in Trinitate*

gradus, in majestate modos, numeros in æternitate; constitu-

bat denique, patrem plenam esse potentiam, Filium quendam

potentiam, Spiritum S. nullam potentiam: cum secutus est

Arnoldus de Brixia, teste eodem S. Bernardo Ep. 195.

Potro in hoc situs erat error Abaylardi, quod attributa

divina partiretur inter personas, non adaptatione aut approp-

riatione, ut fit in Theologia, sed partione & consignatione;

& sic dicebat, Patri competere omnipotentiam, Filio sapien-

tiam, Spiritui S. bonitatem: & quia sapientia deservit poten-

tiam eam dirigendo, non bonitas, hinc dicebat Patrem esse

plenam potentiam, Filium quendam potentiam, Spiritum sanc-

tum nullam potentiam. His iterum annumerantur Abbas Jo-

achin, qui circa ann. 1190. tres personas non esse unam essen-

tiam numero, sed collectivè asserere; Raymundus Lullus, qui

dicebat tres Personas tres essentias; undè & Trinitatis, tres

Deos asserentes.

Hæretici, qui Scripturas admittunt, earum autoritate

sunt revincendi: Judæi pariter ex Veteri Testamento: Gen-

tiles motus credibilitatis nostræ Religionis, & solutione imp-

licantiarum, quas obijciunt: Mahumetani vero, qui ex præ-

cepto sui authoris sunt ignorantissimi, rationum pondere non

vincuntur: undè vix ullus cum eis disputandi locus relinquatur.

Monet tamen S. Damascenus libr. de Hæresibus circa finem

querendum ab eis, quo testimonio, quibus miraculis, qua au-

thoritæ, habeant Mahumetem ut verum Prophetam, sicut

constitit Mundo de Moysæ, de aliis Prophetis, necnon de ip-

so Jesu Nazareno, quem honore dicit Mahumetes, licet non ut

Deum.

Respondent quidem, Mahumetem hæc, quæ sancivit, ac-

cepisse a Deo sine testibus, dum dormiret: bene, sed undè hæc

sciunt? Et cur homini vili somnia sua narranti sine testibus

in re tam momentosa fidem adhibent, maxime cum ipse in suis

Scripturis veterit, ne quid scriberetur, aut fieret sine arbitris, ut

dicit idem Damascen. l. cit.

Cæterum, quia ipse in suo Alcoraco testimonium reddit

Evangelio, indè, & ex aliis Scripturis contra ejus Sectarios

agi potest; non est enim ratio, cur in uno admittant Evan-

gelium, & in alio respuant, cur dicant hic esse vitium

Evangelium, non illic, nisi evidentè probent, quod est ipsis

impossibile.

Quod si nullam admitterent Scripturam, cum ipsis sicut

ergo.

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

cum Ethnicis agendum esset, atque per miracula, & testimonia

extrinseca credibilitatis nostræ Religionis forent revincendi, &

insuper ipsis ostendere absurditatem suæ Religionis, ratione nul-

latarens consona.

ARTICULUS II.

De veritate & existentia Mysterii SS. Trinitatis.

Mysterium hoc in eo situm est, quod sit unus numero,

& individualiter Deus in tribus personis, seu una, &

eadem individua essentia divina in tribus personis realiter distinc-

tis, Patre ingenito, Filio genito, Spiritu S. procedente. Quod

ut probemus, & Personarum distinctio, ac pluralitas contra Sa-

bellianos, & earum consubstantialitas adversus Arianos, & Ma-

cedonianos est stabilienda. Itaque sit

§. I. *Distinctio, seu pluralitas Personarum adversus Sabellia-*

nos asseritur ex Scripturis.

Sabellius, ut jam dixi, unicam in Deo Personam agnosce-

bat, vel, si mavis, tres, eo dumtaxat sensu, quo unus

homo dicitur plures personas gerere. Sic dicebat unam cam-

panemque Personam creatione dici Patrem, incarnatione Filium,

sanctificatione animarum Spiritum S. confundens præpostere

id, a quo nomen impositum est, cum eo, ad quod significan-

dum nomen est impositum: licet enim nomine personæ a per-

sonando, seu representando plures personas, ut fit in comæ-

diis, originem ducat; usurpat tamen ad significanda diversa

supposita, ut dicam infra. Contra hos igitur, & Socinianos,

qui dicunt Spiritum S. non esse personam, sed accidens, seu

virtutem, & efficaciam Dei.

Prob. assertio. Scripturæ passim ponunt in Deo aliquam dis-

tinctionem, & pluralitatem, que non potest esse nisi personarum,

& non tantum vel attributorum, vel officiorum, vel ef-

fectuum, que sunt omnia Sabellianorum, & Socinianorum effu-

gia: ergo.

Prob. Ant. 1. Juxta Scripturas datur in Deo vera Paternitas,

& vera Filio: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego*

hodie genui te. Ps. 2. Quæ verba de Christo, & vero Filio

Dei esse dicta, testatur Apost. Act. 13. v. 34. inde probans di-

vinatatem, & Resurrectionem Christi: quod etiam patet ex ver-

bis subjunctis: *Dabo tibi Genes hereditatem tuam, & pos-*

sessionem tuam terminos terræ; quod nulli, nisi Christo conve-

nire potest. *Ego exiit a Patre.* Joann. 16. *Unigenitus, qui est*

in sinu Patris. Joann. 1. *Pater meus diligit eum, & ad eum*

veniens. Joann. 14. *Ut simus in vero Filio ejus, primæ Joann.*

c. ult. per totum, & alibi continud; atque Paternitas, & Filio

necessario exigunt distinctionem suppositorum, & personarum,

ut docet D. Th. 4. contr. gent. c. 5. Non enim pes, vel manus,

non accidens ut color vel calor, non diversa attributa, aut di-

versa ejusdem personæ officia, non diversa ad varios effectus

ejusdem personæ connotatio, dicitur Pater aut Filius: sed ille

solum est, & dicitur Filius, qui est persona realiter procedens

ab altera in similitudinem nature ipsius: ergo.

2. Ponitur in Deo processio unius ab alio cum iis termi-

nis, quibus solæ personæ significantur, non proprietates, aut

officia, aut effectus, ut: *Ego, tu, ille, hic, alius, &c.* *Ego*

hodie genui te. Ps. 2. *Ego ex Deo processi:* Joann. 8. *Hic est*

Filius meus dilectus. Luc. 9. De S. Spiritu: *Ille me clarificabit,*

quia de meo accipiet. Joann. 16. *Alium Paraclætum dabit vobis.*

Joann. 14. Non enim pes, vel manus, bonitas, vel sapientia po-

tes dicere: *Ego feci, tu fac.* Nec eadem persona secundum

diversa officia, vel effectus potest dicere de se ipsa: ille fecit,

alius fecit, tu fac, feci te, ego genui te, ego processi ex te,

ille me clarificabit, ille de meo accipiet, &c. ergo.

2. Ponitur in Deo plurimum societas, qua unus sit cum alio,

Non sum solus, quia Pater mecum est. Joann. 16. *Cum eo et in*

ciencia componens. Prov. 8. In alio: *Unigenitus filius, qui est*

in sinu Patris. Joann. 1. Apud alium: *Verum erat apud Deum.*

ibid. sedens a dextris alterius: *Dixit Dominus Dominus meo: se-*

de a dextris meis. Ps. 109. Atque hæc pluralitas, seu numerus

secundum societatem necessario de personis distinctis intelligen-

peccatum, sive legem, sive sanguinem, & aquam esse personas, ita nec ex nostris inferri potest Spiritus S. esse personam.

Sed contra. Ex hoc quod aliquæ locutiones Scripturarum sint aliquando, & in certis locis figuratæ, male inferitur, quod semper, & ubique sint figuratæ; sed ex subjecta materia, & rebus, de quibus est sermo, ex circumstantiis, ex iis, quæ præcedunt, & sequuntur, æstimandum est, an Scriptura loquatur figuratè, vel non. Omnia autem indicant, ea quæ protulimus de Spiritu S., non esse figuratæ; & e contra, quæ proferunt Sociniani esse figuratæ. Nam 1. tribuuntur Spiritui S. actiones, quæ non nisi a personis elici possunt, & quæ nunquam qualitatibus seu rebus inanimatis tribuere leguntur, scilicet, intelligere, velle, & precipere. 2. In variis aliis locis Scripturæ Spiritu S. ut persona constanter describitur, nunquam res, quas afferunt Sociniani. 3. Figuratæ locutiones adhibentur, quando res est perspicua, & nullum subest errandi periculum; omnibus autem est perspicua, charitatem, legem, peccatum, sanguinem, & aquam, & similia non esse personas. At vox Spiritus sonat substantiam; unde, dum ipsi tribuuntur quæ sunt personarum propria, nemo est, qui non inducatur, ut credat esse personam; quod ita verum est, ut omnes Christiani, & Hæretici, alii a Sabellianis, & Socinianis, firmiter credant Spiritum S. esse personam. Unde, si quæ Scriptura dicit de Spiritu S. intelligenda sint in sensu metaphorico, Deus Ecclesiæ suæ defecisset præbens apertam occasionem errandi in re tam ardua.

4. Metaphora, quibus actiones personarum tribuuntur in Scripturis charitate, peccato, legi, aquæ, sanguini, & similibus, raro admodum, & obiter adhibentur; at actiones personarum constanter, & ubique tribuuntur Spiritui S. Metaphoræ adhibentur inter docendum, & arguendum; at raro aut nunquam, dum res gestæ simpliciter narrantur. S. Lucas verò Act. 13. nudo, & simpliciter narrat: *Dixit Spiritus S. segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et c. 10. *Dixit Spiritus S.* (scilicet Petro) *ecce viri tres querunt te: Surge itaque, descende, et vade cum eis, nihil dabitans quia ego misi illos.* Tam simplices narrationes, adjecto pronomine *Ego, mihi*, aperte demonstrant Spiritum S. esse personam, quæ jubet, assumit, mittit, &c.

5. Tandem, quamvis dona, virtutes, & gratiæ quandoquæ in Scripturis nomine Spiritus S. efferantur, quia ab illo sunt, ne tamen ullus esset error locus, ipse Spiritus S. sæpè ab illis in Scriptura secerantur; quod plane jugulat Socinianos; sic L. 4. *Regressus est Jesus in virtute Spiritus S.* Act. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos.* 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.* Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: aliter fides in eodem Spiritu. *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.* Plura alia omitto, quorum quædam referentur modo, dum de consubstantialitate.

§. II. Consubstantialitas personarum adversus Arianos, et Macedonianos asseritur ex Scripturis.

Nota: duplici sensu potest intelligi consubstantialitas personarum: 1. Quod sint ejusdem omnino, & individuae nature, in ipsis immultiplicatæ, & indivisæ, & hæc est intelligentia Catholica. 2. Quod sint ejusdem quidem nature, sed specificæ tantum, divisæ, & multiplicatæ in illis, sicut duo supposita nature humane; & hæc sensus est error Paganismi, pluralitatem Deorum admittentis; in eumque declinare videbantur Semariani, qui dicebant Filium esse similem Patri in substantia, etsi tamen id asserere non auderent. Neque etiam hunc sensum propugnarunt puri Ariani; quia apertus est error Scripturis, & rationi plane contrarius, ut vidimus de Polytheismo. Negabant itaque cum Macedonianis personarum consubstantialitatem; quia existimabant aliquam ex illis, Ariani Filium, Macedoniani Spiritum S. non habere veram divinitatem, sed esse naturæ creatæ.

Restat ergo probare divinitatem Filii, & Spiritus S. (de Patre enim nunquam fuit dubitatum), quo facto probata manet utriusque cum Patre consubstantialitas, sensu Catholico intellecta. Nam, si Filius & Spiritus S. sunt verus Deus ut Pater, erit perfectio in illis una, & indivisa divinitas, etiam juxta Arianos, & Macedonianos, qui nobiscum tenent non dari nisi unicum Deum. Unde

Consubstantialitas, seu divinitas Filii contra Arianos.

Rob. Ille est Deus, Deoque Patri consubstantialis. 1. Qui in Scripturis Deus appellatur eodem modo ac Pater, seu cui divinitas eodem modo ac Patri tribuitur. 2. Qui æqualis Deo Patri asseritur. 3. Cui eadem potestas ac virtus, quæ Deo

Patri conceditur. 4. Cui idem cultus, eadem ad ratio ac Patri deferuntur. 5. Cujus superioritas ad omnem creaturam asseritur, & a quo omnis inferioritas creaturæ removetur; atqui sic est de Filio in divinis: ergo. Major patet; nullis enim iudiciis apertioribus potest divinitas declarari. Itaque

Prob. 1. pars Minoris. 1. Ex veteri Testamento Ps. 109. dicitur: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*: ubi David Filium nominat Dominum æquæ ac Patrem: ergo Deum. Fundatur enim in Deitate hæc suprema dominii ratio. Hoc loco usus est ipse Christus Matth. 22. ad probandum suam divinitatem. Petrus Act. 2. Paulus ad Hebr. 1. *Ad quem, inquit, Angelorum dixit: Sede a dextris meis, quodisque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Nomen omnes sunt administratorii Spiritus, &c.* Quasi diceret: ille, qui dicitur Dominus, & sedens a dextris Dei, non est respectu Dei minister, & inferior, quales sunt omnes creaturæ: ergo nec creatura, sed Deo æqualis, & verus Deus.

Isaias 45. loquens de Christo: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator.* Et Baruch. 3. *Hic est Deus noster, et non estimabitur alius adversus eum, & subit: Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.*

Ex novo Testamento: Joann. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum;* Deus utique, apud quem est Verbum, nempe Deus verus, & summus Deus.

Dices cum Arianis, & Socinianis: In hac propositione: *Et Deus erat Verbum,* seu ut habetur græcè, & illud *Verbum erat Deus,* non exprimitur articulus emphaticus *hic Deus,* sicut exprimitur græcè in priori propositione de Patre, *Verbum erat apud Deum;* quo significatur Verbum, seu Filium esse Deum minorem Patre, & dici Deum participativè tantum. Regula enim est, quod, quando ponitur Deus absquæ articulo, accipitur pro Deo per participationem tantum.

R. N. Cons. & dico, hanc regulam non esse universalitèr veram; nam in eodem capite Deus dicitur de Patre absquæ articulo, *fuit homo missus a Deo; ex Deo nati sunt, &c.* Similiter ad Rom. 1. Et e contra c. 5. I. Ep. Joann. præmittitur articulus, dum dicitur de Filio: *Hic est verus Deus.* Cur autem Evangelista non præmisit hic articulum, explicat Maldonatus ex proprietate lingue græcæ, quod non solet præmittere articulum prædicato propositionis, sed tantum subjecto: Deus autem in lingua græca est prædicatum hujus propositionis, ut patet ex ipsa objectione.

Prima Joann. ult. *Ut simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus & vita eterna.* Joann. 20. Thomas Christo dicit: *Dominus meus & Deus meus.* Ad Rom. 9. *Christus... super omnia Deus benedictus.* Ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Si ergo Christus sit verus Deus, Deus super omnia, magnus Deus, non participatione tantum, adoptione, aut imitatione, Deus est.

Prob. 2. pars Minoris. Ad Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Ad Coloss. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, id est, verè, & non umbraticè.* Joann. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et Joann. 17. ipse ad Patrem dicit: *Omnia mea tua sunt; et tua mea sunt;* atqui ubi totum, quod est in aliquo, reperitur in alio, ibi æqualitas: ergo Filius est æqualis Deo Patri: ergo verè Deus, alias non foret æqualis, sed infinitè distans, & inæqualis.

Prob. 3. pars Minoris. Joann. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis sue.* Joann. 5. *Quicumque ille fecerit, Pater scilicet, hæc et Filius similiter facit:* Ubi eadem omnino potentia tribuitur Filio, quæ Patri, proindeque eadem natura; tum quia virtus, seu potentia sequitur formam, & naturam rei: tum quia omnipotentia soli Deo competit.

Respondent olim Ariani, Filium facere omnia, quæ facit Pater, ut ejus instrumentum, & creaturam ipsi subordinatum. Sed contra

Infero: ergo, quæcumque facit Pater, Filius non facit similiter, sed dissimiliter; longè enim dissimilis est modus agendi in instrumento modo agendi cause principalis. Iterum: ergo non portat omnia verbo virtutis suæ, sed virtutis paternæ; quæ aperte contradicunt Scripturis citatis.

Insuper, si Verbum sit creatura, etiamsi aliis excellentior, factum est vel a solo Patre, vel a seipso cum Patre; hoc secundum implicatorium est, alias esset antequam fieret: ergo primum: ergo jam non omnia per ipsum Verbum facta sunt; & aliquid facit Pater, quod non facit Filius; quod iterum aperte contradicunt Scripturæ.

Respondent Sociniani, hæc testimonia non debere intelligi de creatione rerum, sed de restauratione Ecclesiæ, & redemptione hominum per Christum.

Ex veteri Testamento.

1. Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* ibi pluralitas; & statim post, *creavit hominem ad imaginem suam,* ibi unitas.

Quæ reponunt Sociniani, scilicet Deum loqui in plurali numero ad instar artificis, qui, dum se accingit ad opus, quasi se excitando dicit: *faciamus statuum:* vel honoris causa more Principum: vel pluralem numerum spectare Angelos; futilia sunt. Primum est falsum, & ab usu prorsus alienum: is enim artifex penè insanire diceretur, qui solus inter instrumenta artis diceret, *faciamus calcem.* Ad. 2. licet usus obitruerit in lingua Hebraica, ut secunda, & tertia persona honoris causa plurali numero compellatur, non tamen ut prima persona de se in plurali numero loquatur, ut patet in Nabuchodonosor, & Pharaone, quamvis essent Reges ambitiosissimi. Neque etiam in lingua græca, & latina quisquam solet de se in plurali numero loqui, nisi loquatur nomine plurium. Sic Reges loquuntur de se in plurali numero, quia loquuntur nomine, & ex consilio optimatum. Sic Christus Joann. 3. dicit: *Quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur;* quia suo & Patris nomine loquitur, subindicans Patrem simul cum ipso testari, ut notat Rupertus, & palam ipse Christus proficitur c. 8. sequenti. Sic Annibal apud Livium l. 3. 39. dum dicit: *Liberemus a diuturna cura Populum Romanum,* loquitur suo, & adstantium, sive amicorum, sive famulorum, quasi consentientium, & annuentium nomine. Hæc exempla profero, quia ipsa sunt, quæ opponunt Sociniani. Ad 3. inde falsitas patet, quod homo non sit creatus ad imaginem Angelorum, sed Dei, & quod nullatenus memoretur Angelos quidquam contulisse ad creationem hominis.

2. Genes. 18. *Apparuit ei (Abrahamo) Dominus in convale Mambre... Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum: quos cum vidisset... apparuit in terram. Et dixit: Domine, si inventi gratiam in oculis tuis. Quis verba ponderans Aug. 1. 3. contr. Maximinum c. 26. ait: Tres videt, & non Dominus, sed Dominum appellat, quoniam Trinitas tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus Deus.*

3. Ps. 66. *Benedicite nos Deus, Deus mater, benedicat nos Deus,* En numerus; & ne ter Deum nominando tres Deos astruere videretur Psalmista, statim subdit: *Et metuam eum omnes fines terræ,* & alibi sæpè.

Ex novo Testamento.

1. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Quibus verbis, & unitas essentia designatur dicendo singulariter, *In nomine,* non in nominibus; & Trinitas personarum dicendo, *Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Respondent Sociniani, baptizari *In nomine Filii, et Spiritus S.* esse baptizari baptismo, Filii, & Spiritus S. nomine, eo loci sumpto pro ipso baptismo; quod autem baptizemur baptismo Filii, & Spiritus S. non sequitur, eos esse aut veros Deos, aut personas distinctas: sicut, licet 1. Cor. 10. *Israëlites dicantur: In Moyse baptizati,* non sequitur Moysen verum Deum fuisse.

Sed contra. Eodem modo dicimur baptizari in nomine Filii, & Spiritus S. quo dicimur baptizari in nomine Patris: baptizatur autem in nomine Patris, non quia ejus baptismum recipimus, sed quia infinita est ejus potentia, in cuius nomine baptizamur, & sanctificamur. Neque obstat, quod afferunt de Moyse: non enim dicit Apostolus, *Israëlites esse baptizatos in nomine Moysæ, sed in Moyse,* quæ duo valdè differunt: ipse enim Apostolus 1. Cor. 1. docet, neminem baptizari in nomine alicujus creaturæ, *Nunquid... in nomine Pauli baptizati estis?* Quia illi, in cuius nomine baptizamur, debemus fidem, obedientiam, & adorationem. Dicuntur ergo *Israëlites baptizati in Moyse:* quia per Moysen, seu Moyse duce, baptizati sunt, scilicet typicè, *in nube & in mari Rubro;* quia subire nubem, & inire mare; quod *Aegyptus demersit,* figura erat futuri baptismi Christi, quo, hostes nostri, id est peccata demerguntur, & coelesti rore gratiæ Spiritus S. obumbrantur.

2. 1. Joann. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo: Pater, Verbum, et Spiritus S. et hi tres unum sunt.*

In hoc urgentissimo testimonio duo impugnant Sociniani, veritatem textus, & ejus sensum.

Quantum ad veritatem textus dicunt, hunc versum 7. c. 5. Ep. 1. Joann. esse supposititium 1. quia non reperitur in antiquioribus, & probatissimis exemplaribus. 2. Quia ab Athanasio, Hilario, Chrysostomo, Ambrosio, Gregorio Nazianz., & aliis non fuit laudatus adversus Arianos, & Sabellianos, cum tamèn esset aptissimus ad illos revincendos.

Infero iterum manifestè contra Scripturam: ergo quæcumque facit Pater, non facit similiter Filius: non omnia facta sunt per ipsum: sine ipso factum est aliquid: non omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, non universa, quæ sunt in celis & in terra, visibilia, & invisibilia, non Throni, neque Dominationes, non Principatus, neque Potestates, ut tamen asserit Apostolus ibid. ad Coloss. 1. imò nihil omnino creatum per ipsum.

Prob. 4. pars Minoris. Joann. 5. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ps. 55. *Adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes servient ei.* Ps. 96. *Adorate eum omnes Angeli;* quod de Filio intelligit Apostolus ad Hebr. 1. in Scriptura autem nunquam præcipitur adoratio nisi pro vero Deo.

Ponderant etiam Patres cum Apost. ad Hebr. 1. illud jam citatum *Sede a dextris meis,* quod significat æqualitatem honoris. Ut enim observat S. Chrysostolus, sicut Pater dicit Filio: *Sede a dextris meis;* postea Pater dicitur sedere a dextris Filii, *Dominus a dextris suis,* ut significaretur utriusque æqualis honoris gradus. Sic a dextris (inquit præfatus Pater Ser. 58.) *sedit Filius, ut Pater non sedeat a sinistris: unica, & singularis est divina sessio, ubi superna virtus recipit nihil sinistram.*

Quinta pars Minoris patet ex dictis. Si enim Filius sit verus Deus cum Patre, & ipsi æqualis, si omnes creaturæ per ipsum sint factæ, & in ipso constant, si tandem eodem honore colitur, ac Pater: ergo creaturæ omnibus superior est. Unde etiam Scriptura in ipso, sicut in Patre, constituit rationem ultimi finis, & vite beatæ. Joann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et primæ Joann. ultimo: *Hic est verus Deus, & vita æterna.*

Consubstantialitas Spiritus S. adversus Macedonianos.

Rob. Iisdem quinque mediis divinitas Spiritus S. 1. Expressè nominatur Deus Act. 5. ubi Petrus dicit Ananias: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri Spiritui S.?* Non est mentitus hominibus, sed Deo. 1. ad Cor. 22. *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et postea subditur: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus;* ubi, qui vocatur Spiritus, Deus est. Ille idem Dominus exercituum, qui Isaiæ 6. dicit: *Vade, dic populo huic: audite audientes, & nolite intelligere,* a Paulo vocatur Spiritus S. Act. ultimo, *benè Spiritus S. loquutus est per Isaiam dicens, vade ad populum istum, & dic eis: aure audietis, & non intelligetis.* Joann. 4. *Spiritus est Deus.* Unde mentiuntur Sociniani, qui dicunt Spiritum S. nusquam vocari Deum in S. Scriptura.

2. Æqualitas in natura ei tribuitur. 1. Joann. ultimo: *Et hi tres unum sunt.* Matth. 28. In dignitate, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. In immensitate Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* In omni scientia 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et infra: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.*

3. Potestas, & virtus divina ei tribuitur. Ps. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Ps. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum,* hæc ubique tribuitur Spiritui S. resurrectio mortuorum, sanctificatio animarum, gubernatio Ecclesiæ, & omnium mirabilium maximum opus Incarnationis, Luc. 1. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi;* ubi panificatur Spiritus S. & virtus Altissimi.

4. Tribuitur ei majestas Dei, & honor divinus. 1. Cor. 6. *Nescitis, quia membra vestra Templum sunt Spiritus S. qui in vobis est... glorificate, & portate Deum in corpore vestro:* ubi Spiritus S. iterum dicitur Deus, & tribuitur ipsi Templum, quod divinitati proprium est: unde talis ei debetur veneratio, ut injuria ipsi illata sit injuria Dei, & dicatur irremissibilis. Hebr. 10. & Matth. 12. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, &c.* Hinc iterum ei tribuitur gloria finis ultimi, & beatitudinis. 1. Per. 1. *Spiritu S. missa de celo, in quem desiderant Angeli prospicere.*

Ex his patet, esse creatoris omnibus superiorum. Plura alia testimonia omittimus, quæ ad unum ex his quinque locis facile revocari possunt.

§. III. Pluralitas, & consubstantialitas Personarum simul probatur ex Scripturis.

Hæc usquè pluralitatem, & consubstantialitatem personarum seorsum probavimus: nunc proferimus Scripturarum testimonia, quibus utraque simul probatur.

Ad r. Fatetur, hunc versum, sive integrè, sive quoad partes non reperiri in quibusdam antiquis exemplaribus manuscryptis; at in multo pluribus antiquissimis, & optima nota reperitur. 1. Reperitur in codicibus, quibus uti sunt Auctores Editionis Complutensis ann. 1517. hi autem codices erant vetustissimi, & castigatissimi, Hebraei, Graeci, & Latini, ut testatur Cardinalis Ximenez in praefat. 2. Robertus Stephanus in sua elegantissima Editione ann. 1550. ex 16. exemplaribus ab Italia, Hispania, & Gallia conquisitis, septem dumtaxat notat, in quibus non quidem integer versus deest, sed tantum pars, scilicet haec verba, *In celo*, sine quibus manet tota vis Textus. 3. Theologi Lovanienses ex magno illo numero codicum manuscryptorum, ad quos sacra Biblia semel, & iterum contulerunt, numerant dumtaxat quinque, in quibus ista versus octavi de tribus testibus terrestribus, *Et hi tres unum sunt*, in quibus vim faciunt Sociniani, non legi. 4. Legebatur in vetustissimis, & probatissimis exemplaribus, quibus utebatur Cassiodorus 5. & 6. saeculo; ut patet ex ejus opere, cui titulus, *Cassiodori Senatoris complexiones in Epistolas, & acta Apostolorum, & Apocalypsim*, quod in Bibliotheca Capituli Veronensis nuper reperitum imprimi curavit ann. 1721. Vir clarissimus D. Maffei. In hoc ergo opere Cassiodorus exponens summarium Cap. 5. Epist. 1. Joann. sic habet: *Cui rei testificatur in terra tria mysteria, aqua, sanguis, & spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta; in celo autem Pater, Filius, & Spiritus S. et hi tres unus Deus*. Summam autem curam adhibebat Cassiodorus in conquirendis, & inter se conferendis, vetustis, & probatis codicibus, ut ipse testatur in praefat. & c. 8. l. *Institutionum divin.* 5. Legitur in vetustissimo codice Britannico, cujus tanta fuit auctoritas apud Erasmus, ut cum in duabus prioribus Editionibus novi Testamenti hunc versum omisissent, in tertia restituerit.

Quòd autem in paucis exemplaribus non reperitur, potuit contingere 1. ex peridia Arianorum, qui hunc textum ut suo errori nimis contrarium abraserunt, ut testatur Hieronymus in Prologo ad Epistolas Catholicas, si tamen iste Prologus sit Hieronymi, de quo nunc disputant Critici. Sed, ut sit, hujusmodi fraudis vitium Arianis saepe exprobrat S. Ambrosius l. 2. de fide c. 15. l. 5. c. 16. l. 3. de Spiritu S. c. 10. 2. haec omisio potuit contingere ex vitio Exscriptoris, qui, cum pervenisset ad haec verba versus septimi: *Tres sunt, qui testimonium dant*, lapsus oculi transiit ad versus octavum, ubi eadem verba reperuntur: & hic lapsus frequens est Exscriptoribus, diu, nullo fere interposito intervallo, eadem verba reperuntur.

Ceterum nostra vulgata Editio peracta est juxta exemplaria, quae fidelium manibus ubique terebantur: haec autem multò difficultius adulterari possunt propter quotidianum usum, & certum detegende fraudis periculum, ideòque longè majorem merentur fidem, quam quae latent in angulis Bibliothecarum, ubi ex occultitate vel malitia Exscriptorum fraudi, & adulterationi securè patent.

Ad 2. Scilicet plures Patres hunc versum non laudasse adversus hereticos. R. etiam plures laudasse. Laudavit Tertullianus libr. adversus Praxeam c. 25. S. Cyprianus l. de unitate Ecclesiae, non multò post initium, Idacius Clarus 4. saeculo, vel secundum alios Vigilius Tapsensis 5. saeculo libr. adversus Variandum Arianum c. 5. Eugenius Cartaginensis in explicatione Fidei Catholicae, a 400. fere Episcopis subscripta, & Hunerico Vandalorum Regi Ariano oblata ann. 484 ut reserunt Victor Vitensis l. 2. de persecutione Africana, & Gemadius libr. de Scripturis Ecclesiasticis c. 97. Hieronymus in prologo ad Ep. Catholicas, Cassiodorus, ut dixi supra. Item juxta Bellarminum l. 1. de Christo c. 6. S. Athanasius libr. ad Theophilum de unitate Deitatis Trinitatis, Auctor disputationis ejusdem Athanasii in Concilio Nicæno, & Fulgentius libr. contra Objectiones Arianorum sub finem. Haec autem probatio positiva certò praevalat argumento negativo Socinianorum. Unde, quòd in quorundam veterum scriptis non legamus hunc versum fuisse ab eis laudatum, verosimiliter accidit ex eo, quòd inciderint in Codicem mendosum, vel quòd non omnia eorum scripta ad nos pervenerint, aut a fidei hostibus fuerint corrupta.

Quantum ad sensum hujus versus, dicunt Sociniani, his verbis, *Et hi tres unum sunt*, non significari unitatem naturae sui substantiae, sed unitatem testimonii; quia versus octavo sequenti de spiritu, sanguine, & aqua dicitur pariter: *Et hi tres unum sunt*, quòd tamen non intelligitur de unitate naturae, sed de unitate testimonii, quatenus concurrunt in idem testimonium de Christo, quòd sit veritas, sicut Pater, Filius, & Spiritus S.

R. 1. Has particulas versus octavi, *Et hi tres unum sunt*, in multis codicibus latinis desiderari. Correctores Lovanienses numerant 15. in quibus non leguntur; Innocentius III. in

decretam, quae extat 3. Decretal. tit. 41. c. *In quadam* 8. dicit, in plerisque Codicibus, verosimiliter Latinis, minime haberi. Graeci Codices habent quidem, non tamen ut referuntur, sed sic: *Et hi tres in unum sunt*, id est, in unum concurrunt testimonium. Undè jure praesumitur, fraude Arianorum, aut ositantia Exscriptorum Tò in a Codicibus Latinis, in quibus haec verba leguntur, excidisse. Ceterum, licet non ita legatur in nostra Vulgata, debet tamen sic exponi, ut respondeat Graeco originali; ita ut sensus sit: spiritus, aqua, & sanguis concurrunt ad eandem rem testificandam, scilicet Christum esse verum hominem. Et quavis in utroque versu sit quaedam paritas in reddendo testimonio, non est tamen necesse, ut sit paritas in significatione horum verborum: *Et hi tres unum sunt*.

R. 2. Dato his verbis exprimi paritatem, utique invenitur; Haec enim tria, spiritus, aqua, & sanguis, sunt aliquo modo unum substantialiter. Sit itaque sensus: spiritus, aqua, & sanguis testificati sunt de Christo tempore Passionis, spiritus dum clamando expiravit, sanguis, & aqua fluentes ex ejus latere; & hi tres unum sunt substantialiter; hoc est, pertinens ad unam, & eandem substantiam humanam in Christo, sicut Pater, Filius, & Spiritus S. pertinent ad unam, & eandem substantiam divinam: cum hac tamen differentia, quòd haec divina substantia sit summè simplex, & una, humana autem sit composita.

3. Joann. 10. *Ego, & Pater unum sumus: ego, & Pater sumus*, en distinctio personarum: unum, consubstantialitas. Undè Aug. Tract. 36. in c. 8. Joann. ait: *Quod dixit unum, liberat te ab Ario: Quod dixit, unum, liberat te a Sabellio*. Hunc locum potissimum urgebant Patres adversus Haereticos: quapropter opere pretium est omnem ejus vim enucleatim exponere, & Haereticorum evasiones explodere.

Christus itaque eo loci volens probare suam divinitatem esse veram, de quo solim erat questio apud Judæos, praenitit, quòd id, quòd sibi dederat Pater, sit majus omnibus; scilicet divinitas, sic enim de suis ovinibus loquens, dicit: *Non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: Et nemo potest rapere de manu Patris mei: Quasi diceret, sicut nemo potest rapere ovem meas de manu Patris mei, ita nec de mea, quia sum ipsi coequalis, & consubstantialis; quòd enim mihi dedit, majus est omnibus, adeoque divinitas ipsa est, alias non foret quòd majus est; nec valeret sequela, quòd, sicut nemo potest rapere de manu Patris, ita nec de sua. Unde in sequentibus apertius se explicans subdit: *Ego, & Pater unum sumus*, quòd sanè si non intelligatur de omnimoda unitate in substantia, infirmatur quòd prius dixerat, id quòd sibi datum a Patre esse majus omnibus, & quòd nemo potest rapere de manu sua, quia non potest de manu Patris.*

Hunc esse sensum verborum Christi, planè intellexerant Judæi; siquidem ipsum idèd volerint lapidare, & accusarint eum blasphemiam, quòd se faceret Deum. Subditur enim ibidem: *Subtulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum: Et paulò post: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum*.

Attamen nec Christus, nec Evangelista hanc Judæorum opinionem quasi falsam correxerunt, quin imò Christus è contra, quòd prius dixerat, juxta eorum opinionem ab operibus confirmat, *Si, inquit ibidem, non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre*, hoc est, ut prius dixerat, quia *Ego, et Pater unum sumus* in natura divina. Quòd enim est unum cum altero unitate tantum, seu concordia affectus, è voluntatis, ut interpretantur Haeretici, non dicitur proprie in altero, nec esse unum simpliciter, ut dicebamus supra.

Ceterum Judæi haec ultima Christi verba, sicut & priora, imò, & ut priorem confirmatoria, juxta eundem sensum de unitate naturae intellexerunt; siquidem volerint idèd manus rursùm in illum injicere, subiungit enim statim Evangelista: *Quarebant ergo eum apprehendere, et exivit de manibus eorum*. Undè Aug. Tract. 48. in Joann. dicit: *Ecce Judæi intellexerunt, quòd non intelligunt Ariani: idèd enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: ego, et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris, et Filii*.

Huc peremptoriae auctoritati opponunt r. Haeretici verba Christi sequentia, quibus explicat, quò sensu dixerit se esse Deum, & Filium Dei: *Nomen, inquit, Scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi, Dii estis: Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura: Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum. vos dicitis, quia blasphemax quia dixi, Filius Dei sum*. Intelligit ergò tantum se esse Deum, & Filium Dei per gratiam, & adoptionem, sicut sunt alii homines sancti, non autem per naturam, & filiationem naturalem. R.

R. N. Coaseq. Non enim his verbis intendit Christus explicare, quò sensu se dixit Filium Dei, sed, quòd se dixerit Filium Dei, non esse blasphemum: idque probat argumento, non a simili, sed a minori ad majus; quasi dicas: Lex vocat Deos, ad quos sermo Dei factus est, nec blasphemiam continet: ergo a fortiori non est blasphemia me vocare Filium Dei: qui specialiter a Patre sum sanctificatus, & missus in mundum. Depulsa a verbis suis blasphemiae injuria, statim redit ad probationem suae divinitatis per opera, ut vidimus.

Instant Haeretici: Christus verbis mox citatis probat se esse Filium Dei, quia Pater eum sanctificavit; atqui filiatio Dei per sanctificationem est filiatio adoptiva per gratiam habituaalem, ut in aliis Sanctis, & non naturalis: ergo.

R. 1. N. Maj. Quia, ut modò dicebam, Christus his verbis non vult directè probare se esse Deum & Filium Dei naturalem, sed per argumentum a minori ad majus, se non esse reum blasphemiae quòd dixerit se esse Deum, siquidem Scriptura sine blasphemiam vocat Deos eos, qui communiter sancti sancti, ipse autem speciali modo sit sanctus, & a Patre missus. R. 2. D. Min. Filiatio Dei per sanctificationem accidentalem gratiae est filiatio Dei adoptiva, C. Filiatio Dei per sanctificationem substantialem unionis hypostaticae, N. Christus autem non solum priori, sed hoc posteriori modo fuit sanctificatus, ut probabimus in Tract. de Incarnatione.

Opponunt 2. Haeretici verba Christi Joann. 17. *Rogo Pater... ut sint unum, sicut & nos unum sumus*; atqui discipuli, de quibus illic est sermo, non erant unum inter se unitate naturae, sed voluntatis & affectus tantum: ergo similiter Pater & Filius. Respondent quidam, Christum ibi rogare ut hominem, & precatum fuisse, ut sicut inter Deum Patrem & se ut hominem est perfectè charitatis unitas, ita foret inter discipulos.

R. 2. Ex S. Athanasio 4. serm. contr. Arianos, Christum his verbis non discessit in omnibus similitudinem, sed aliquam tantum, imò non tam similitudinem, quam exemplum, imitatione quidam participabile quoad aliquid. Ita ut sensus sit: sicut ego & Pater sumus voluntate concordēs per naturam, habeant discipuli similem concordiam per gratiam. Familiare est enim Scripturae, sive a naturalibus, sive a divinis exempla proponere pro moralibus absque eo quòd intendat omnimodam paritatem: sic enim dicitur Math. 7. *Estote perfecti, ut Pater vester caelestis perfectus est*, est sensus, quòd conemur per gratiam in quantum fieri potest, imitari perfectionem Patris, non autem quòd nostra perfectio sit infinita & essentialis, sicut perfectio Patris. Similiter, cum dicit Math. 10. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*, non vult nos fieri serpentes & columbas naturaliter, sed quòd exemplum serpentis & columbae discamus prudentiam & simplicitatem. Sic igitur, concludit S. Athanasius, non ut nos essemus quale est ipse, dicitur est a Christo, ut sint unum, quemadmodum & nos unum, sed pro nostra natura, & quatenus fieri potest, ut inde formulam similitudinemque mutuemur... Ille quidem ex natura unum est cum suo Patre; nos autem unum inter nos affectus & animo efficiamur, habentes pro archetypo exemplari naturalem unitatem Filii cum Patre.

4. Quid expressius illo Joannis 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, ut jam ponderavimus, dicit Ambros. l. 1. de fide Trinit. cap. 5. elegantè dicit: *Omnes autem Haereses hoc capitulo brevi peccator noster exclusit: quòd enim erat in principio non includitur tempore, non principio praeventur: ergo Arius conticescat. Quòd autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed momentis Verbi apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius obmutescat. Et Deus erat Verbum; non ergo in prolatione sermonis hoc verbum est, sed in illa caelestis designatione virtutis, ut conjunctur Photinus. Quòd verò erat in principio apud Deum sempiternae divinitatis in Patre & Filio inseparabilis unitas edocetur, ut erubescat Eudoxius & Eunomius*.

§. IV. Pluralitas, & Consubstantialitas Personarum probantur Traditione.

1. Ex forma Baptismi, quae ab exordio Ecclesiae fuit constantè in usu: haec autem continet professionem trium personarum in una numero substantia, ut supra expendimus.

2. Ex reclamatione totius Ecclesiae contra insurgentes circa hoc mysterium Haereses Sabellii, Arii, Macedonii, & aliorum: indè enim constat, hanc esse & fuisse avitam & constantem doctrinam fidelium.

3. Ex SS. Patribus, qui testantur hanc fuisse perpetuam & immotam Ecclesiae traditionem ab ejus incunabulis, eamque erroribus nascentibus opposuerunt. Tertullianus libr. contr. Praxeam c. 2. postquam exposuit hoc mysterium proit ab Ecclesia creditur, ait: *Hanc regulam ab initio Evangelii decessisse etiam ante priores quosque Haereticos, eandem autè Praxeam*

heretorum, probabit tam ipsa posteritas omnium Haereticorum, quam ipsa novitas Praxeam heretorum. Patres Synodi Antiochenae in sua ad Paulum Samosatenum Epist. *Decrevimus fidem scripto edere & exponere, quam a principio accepimus, & habemus traditam & servatam in Ecclesia Catholica usque in hodiernum diem a beatis Apostolis*. S. Athanasius libr. de decretis Concilii Nicæni, Arianos alloquens: *Vos, o novè quos Patres, qui vestris oculis faverint, exhibere potestis? nullum certè prudentem & sapientem inquam proferetis*. Concilium Constantinopolitanum I. pro divinitate Spiritus S. contra Macedonium congregatum in Epist. Synodica ad Episcopos Occidentis: ista fides (de Trinitate personarum in eadem individua natura divina)... *Antiquissima est, & lavacro Baptismatis consentanea*.

Aliud insigne testimonium Traditionis Ecclesiae de divinitate Christi profert antiquus Auctor 2. aut 3. saeculi apud Eusebium l. 5. hist. c. 27. & Nicephorum l. 4. c. 21. quem multi volunt esse Cajum doctissimum Ecclesiae Romanae presbyterum. Is igitur adversus haesim Artemonis, ejusque sectarios, qui Christum esse merum hominem asserabant, & antiquos Victorumque Romanum Pontificem secum sensisse iactabant, dicit: *Afirmant, prius quidem omnes & ipsos Apostolos ea, quae nunc ab ipsis dicuntur... docuisse, ac praedicationis quidem veritatem esse custoditam usque ad Victorem... A Zephrino autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem. Ac fortasse id, quòd dicunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primò quidem divinae Scripturae, deinde fratrum quorundam scripta Victoris aetate antiquiora, Justinum in elligo & Miltiadem, & Tatianum, ad Clemenem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas astruitur. Nam Irenei quidem & Melitoni & reliquorum scripta quis est, qui ignoret, in quibus Christum Deum atque hominem praedicant? Psalmi quoque & Cantica fratrum jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tibi ab hinc annis Ecclesiastica Doctrina praedicata sit, quae fieri potest, ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet ejusmodi calumniam adversus Victorem concinnare?*

4. Ex SS. Patribus, qui 3. primis saeculis antè Nicænum Concilium hanc fidem suis scriptis expresserunt.

Primo Saeculo.

Hermas, Pauli discipulus, in opere, quòd vocatur *Pastor* l. 3. similitudine 5. dicit: *In simili conditione non ponitur Filius Dei, sed in magna potestate & imperio*. Similitudine 9. num. 2. *Filius quidem Dei omni creatura antiquior est, ita ut in consilio Patris suo affuerit ad condendam creaturam*. Et n. 14. *Nomen Filii Dei magnum & inmensum est: & totus ab eo sustentatur orbis*; atqui, qui in servi conditione non ponitur, Deus est, omne enim, quòd non est Deus, Deo serviat necesse est: qui immensus & antiquior est omni creatura, Deus est; qui condidit & sustentat orbem, Deus est; quis enim nisi Deus condidit & sustentat orbem? Qui affuit Patri socius in condendo orbe, est cum Patre Deus, & a Patre in aliquo, nempe persona, distinctus; nemo enim est sibi socius: ergo.

Si dicas, Gelasium Papam hoc opus inter apocrypha amandasse. R. id factum esse, non quòd sit opus falsi nominis aut novae doctrinae, sed quòd non esset intra canonem collocandus, Nam esse opus genuinum Hermas, fidem faciunt Eusebius l. 3. hist. c. 3. & S. Hieronymus in catalogo Script. Ecclesiast. in Hermas; idque esse opus optime nota è Ecclesiae urile, restantur idem ibidem. Et S. Athanasius l. 1. de Incarnat. Verbi. Hinc patet S. Hieronymum emendasse, quòd duris dixerat l. 1. in Habacuc ad c. 1. hoc opus esse stultitiae condemnandum.

S. Clemens, Pauli coadjutor, & successor Petri in sede Romana in 1. Ep. ad Cor. n. 16. dicit: *Seipsum majestatis Dei Dominus noster Jesus Christus non venit in factantia ignorantie, neque superbia, cum illud posset, sed in humilitate, quemadmodum Spiritus S. de ipso locutus est; at quippe (Isaie 53.) quoniam non est species ei, neque gloria. Verum, qui est sceptrum, hoc est virtus & potentia Dei, Deus est; item Spiritus futurae praedicens, Deus est: ergo Christus Deus est; Spiritus S. Deus est. Num. 361. loquens iterum de Christo: *Qui cum sit, inquit, splendor majestatis ejus, tanto major est Angelis effectus, quamò excellentius nomen sortitus est: itaque scriptum est: qui facit Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis. De Filio autem suo sic dixit Dominus: Filius meus es tu, ego hodie genui te... Sede a dextris meis*. Et in altera ejusdem Ep. ad eosdem Corinth. num. 1. *Frates ita sentire nos oportet de Jesu Christo tanquam de Deo, tanquam de judice vivorum & mortuorum*. Has autem Epistolas jure adscribit S. Clementi, probat Natalis Alexander in hist. 1. saeculi c. 12. art. 12.*

S. Dionysius Areopagita, alter S. Pauli Discipulus, libr. de divinis nominibus c. 1. *Itaque, inquit, in omni ferme Theologica*

tractatione summam divinitatem sancti celebrari videmus, ut singulariter quidem atque unice, propter simplicitatem & unitatem illam impartibilem; ut Trinitatem vero propter superessentialis fecunditatis in suppositis tribus expressivem. Hos libros & alios, S. Dionysio Arceopagite vulgo adscriptos, esse genuina illius opera, probat idem Natalis Alexand. in hist. 1. scc. dissert. 22. adversus Morinum, Launoium, Erasmus, Dalcium &c.

S. Ignatius Martyr, Joannis Evangelistae auditor, Ep. ad Ephesios. *Sindete*, inquit; ut confirmemini in dogmatibus Domini & Apostolorum, ut omnia que facitis, prosperè vobis succedant, carne & spiritu, fide & caritate in Filio, & Patre, & Spiritu S. Subiecti estote Episcopo & vobis mutuo, ut Jesus Christus Patri secundum carnem, & Apostoli Christo & Patri & Spiritui S. Et in Ep. ad Magnesianos: *Deus unus est, qui manifestavit se ipsum per Jesum Christum Filium ipsius, qui est ipse verbum æternum, non a silentio procedens.* Has autem Epistolas esse S. Ignatii genuinum scripturam, agnoscunt Catholicæ, & Anglicana Ecclesia, Usserius, Vossius, & alii contra quosdam Calvinistas Gallos, Blondellum, Dallæum &c.

Secundo Sæculo.

S. Polycarpus, alter S. Joannis Evangelistæ, & etiam S. Ignatii discipulus, Smyrnenis Episcopus, & cum eo tota Smyrnenis Ecclesia, in Ep. quam de S. Polycarpi martyrio scripsit ad Ecclesiam Ponti apud Euseb. l. 4. hist. c. 15. in ea ergo Epistola S. Martyr paulò ante mortem sic induitur rogans Deum: *Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jesu Christi... Benedico te, qui me in hunc diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio & in Calice Christi tui... in corruptione Spiritus S. Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem sibi unà cum ipso in Spiritu S. gloria nunc & in sæcula sæculorum. Ex quo habes, non solum Christum esse Filium Dei unigenitum, ac sempiternum Pontificem, consequenter Deum ex substantia Patris ab æterno genitum, sed etiam tres divinas personas eadem gloria esse honorandas, adeoque esse inter se æquales.*

S. Justinus martyr in Apol. 2. *Hinc (Patrem) et qui ab eo venit, Filium, et Spiritum Propheticum colimus, et adoramus cum ratione et veritate veneramus.* Soli autem Deo debetur adoratio. Ibidem, qui, quod Verbum et Primogenitus Dei sit, Deus etiam est. Ibidem dicit, Christianos baptizari in nomine verum unctarum parentis, et Domini Dei, et Servatoris Jesu Christi, et Spiritus S. Et in dialogo cum Triphone probat, in Deo plures esse Personas ex illis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Multo opponunt Sociniani ex S. Justino, de quibus in sol. object.

Athenagoras, Philosophus Christianus, in Apol. pro Christianis ad Imperatores: *Quis igitur, inquit, non miretur cum audiat nos, qui Deum Patrem predicamus, et Deum Filium, et Spiritum S. eorum in unitate virtutem et in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Hic aperte explicatur Trinitas Personarum in unitate substantiæ. Addit ibidem, id præsertim Christianos curare, ut intelligant, quamam sit Filius ad Patrem unio, quid Pater cum Filio communicet, quid sit Spiritus, que unitas trium, que discretio uniorum? Item, ut, inquit, æquali honore et potestate cognoscamus Deum, et Verbum ejus, et Spiritum S. Quæ aperitissime significant Trinitatem Personarum in unitate essentiæ.

Opponunt Sociniani. Athenagoras ibidem 1. statuit tanquam principium: Omne, quod est genitum, aliquando incepisse, & aliquando deficere debere; ex quo sequitur, Verbum, quod est genitum, non fuisse ab æterno. Dicit 2. Verbum esse rationem Patris, ratio autem Patris non distinguitur a Patre. 3. Dicit, Verbum a Patre prodidisse, ut esset actus creaturarum & eas e nihilo educeret, ideoque vocat ipsum primam Patris progeniem, illudque reponit in idea & operatione. Hac autem probant, Verbum non esse æternum.

R. ad 1. To genitum illic sumi ab Athenagora, proit idem est ac factum seu creatum, loquitur enim ibi de rebus creatis. Ad 2. N. id esse dictum ab Athenagora, sed sic loquitur: *A principio enim Deus cum sit æterna mens, habuit in se ab æterno dixit*, hoc est, rationem, seu verbum, aut sermonem, cum æternum sit rationalis. Quid verissimum est, & apud omnes Theologos receptissimum, Deum nempe ab æterno habere seu producere Verbum, quia ab æterno est intellectus & rationalis. Ad 3. R. hæc omnia dicta esse ab Athenagora de processione Verbi ad extra; est enim sedulo observandum, Antiquos distinctimè duplicem Verbi processionem, unam æternam ad intra latentem in Deo, alteram temporalem ad extra in creatione mundi, cum Deum hoc verbum exterius protulit, *Fiat lux*, &c. & utramque processionem vocabant generationem,

æternam proprio & stricto sensu, temporalem improprè & metaphorice, quatenus manifestatio rei latentis & abscondite dicitur quasi ejus generatio: cum ergo creatio mundi tribuatur Verbo, dictum est a Patribus antiquis, quasi nasci & generari, cum exterius operatus est, & sua operatione innovat.

S. Irenæus, Polycarpi Discipulus, Lugdunensis Episcopus & Martyr, l. 1. exponit fidem Ecclesie: *Ecclesia*, inquit, *per univèrsum orbem usque ad fines terre seminata, et ab Apostolis, et a Discipulis eorum accepit eam fidem, que est in unum Deum, Patrem omnipotentem... Et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro salute nostra; Et in Spiritum S. Item Christum Mariæ Virgine præter exiisse, docet l. 1. c. 19. l. 2. c. 55. & alibi: eundem esse æternum, l. 2. c. 18. 43. 55. & alibi: esse verum Deum l. 1. c. 2. & 19. l. 2. c. 18. 43. & 55. l. 3. c. 6. 8. & 18. & alibi.*

Opponunt. Irenæus 1. dicit l. 2. c. 49. Patrem esse majorem Filio. 2. Ibidem, Filium ignorasse diem judicii. 3. Libr. 4. c. 17. Patrem præcepisse Filio creationem mundi. 4. Ibidem, Patrem justè Deum & Dominum solum appellari.

R. ad 1. & 2. utrumque intelligi de Christo ut homine. Ad 3. D. Pater præcepit Filio proprie ut superior inferiori, N. Improprè, quatenus ipsa generatione æterna ipsi communicavit suam voluntatem creandi mundum, C. Ad 4. dicit, Patrem Deum solum appellari per exclusionem falsorum deorum, quos admittebant Gnostici, non per exclusionem Filii & Spiritus sancti. Hæc responsiones fusiùs exponuntur in sol. object.

Tertio Sæculo.

S. Clemens, Alexandrinus Presbyter, l. 1. Pædagog. c. 6. *O miraculum mysticum!* inquit, *unus quidem est univèrsorum Pater, unum etiam Verbum univèrsorum, et Spiritus S. unus, et ipse est ubique.* Et l. 3. c. 12. *Laudemus unam Patrem et Filium... unam cum S. Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia unum... Cui gloria nunc et in sæcula sæculorum, amen.* Et in admonitione ad Gentes probat, Filium esse æternum & verum Deum.

Obijciunt 1. Clemens Alexandrinus l. 4. Stromat. docet Patrem non cadere sub demonstrationem, bene tamen Filium 2. Libr. 5. vocat Christum primò creatum sapientiam. 3. Libr. 6. dicit Deum fecisse Filium. 4. Libr. 7. *Naturam Filii esse soli omnipotentis propinquissimam.* 5. Christum voluntati Patris servire. Quæ omnia adjudicant divinitatem Filii.

R. ad 1. sensum esse, Patrem non cadere sub demonstrationem per se & immediatè; quia debet revelari per Filium Verbum suum. Ad 2. & 3. creare & facere sumitur pro generare. Ad 4. quamvis vox græca *physis* quam adhibet Clemens Alexand. plerumquè sumatur pro natura, interdum tamen usurpatur pro persona; sic eam usurpavit S. Alexander Alexandrinus Episcopus in Epist. ad Alexandrum Constant. apud Theodoretum l. 1. c. 4. & Synesius hymno 3. ut observat Witasse hic q. 4. art. 2. sect. 4. Sed & si sumatur pro natura, potest dici Patri propinquissima, quia ipsissima est Patris natura & essentia. Quod autem dicit Patrem solum omnipotentem; sensus est; quod Pater sit Deus, qui Deus est solus omnipotens, non autem quod sit sola omnipotens persona: nam l. 3. Pædagog. cap. 7. Filium vocat pariter omnipotentem. Ad 5. Filium dicit servire Deo improprè, quatenus ejus voluntatem facit.

Tertullianus præter ea, quæ de illo jam retulimus, dicit libr. contr. Praxeam c. Nos unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam economiam dicimus, ut unicus Dei sit et Filius sermo ipsius... per quem omnia facta sunt... hunc missum a Patre in Virginem et ex ea natum hominem et Deum... et cognominatum Jesum Christum... qui exinde miserit Paracletum sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem, et Filium, et Spiritum S. Ibidem. *Perversitas... hæc, quæ se existimat meram veritatem possidere, diem unicum Deum non aliàs putat credendum, quam si ipsum eundemque et Patrem, et Filium, et Spiritum S. dicat: quasi non sic quoque unus sit omnia, diem ex uno omnia per substantia scilicet unitatem, et nihilominus custodiatur economie sacramentum, que unitatem in Trinitate disponit, tres dirigit, Patrem, Filium, et Spiritum S. Libr. de pudic. c. 21. Est Trinitus unius divinitatis Pater: et Filius, S. Spiritus S. Quæ opponunt Sociniani ex Tertulliano, diluuntur in sol. objectionum.*

S. Cyprianus de unitate Ecclesie c. 4. *De Patre et Filio et Spiritu S. scriptum est: hi tres unum sunt.* Et Ep. ad Jubanum de eo, qui baptizatus est ab hæreticis, dicit: *Si peccatorum remissionem consecutus est... Templum Dei factus est: Quæro ejus Dei? Si creatoris, non potuit, quia in eum non creditur: Si Christi, nec ejus fieri potuit templum, qui negat Dominum Christum: Si Spiritus S. quomodo Spiritus placatus est esse potuit, qui aut Patris, aut Filii inimicus est.*

S. Gregorius Thaumaturgus in confessione fidei: *Unus Deus,*

Deus, inquit, Pater Verbi viventis... Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo... Filius verus veri Patris, sempiternus sempiterni, unusque Spiritus S. in quo manifestatur Deus Pater... Et Deus Filius... Trinitas perfecta, que gloria, & æternitate ac regno atque imperio non dividitur, atque abalienatur... Non ergo desit unquam Filius Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis, & invariabilis eadem semper manet Trinitas. Neque obstat, quod in disputatione adversus Arianum gentilem appellaverit Christum Creaturam, & facturam; hoc enim de Christo ut homine verum est: aut si intelligas de Christo ut Filio Dei, non dixit desinendo, & alligando, sed disputando, & verba sua ad captum hominis Ethnici, quem ad fidem perducere volebat, accomodando. Ita illum exponit S. Basil. Ep. 64. ad Neocæsarienses. Plures alios omitto, hi quippe instituto nostro sufficient: aliunde de quibusdam redibit sermo in sol. object.

Tandem sæculo 4. in Conc. Nicæno ann. 325. adversus Arianum, & in Conc. Constantiensi. ann. 381. contra Macedonium, asserta est fides Catholica de Trinitate, & consubstantialitate personarum in Deo uno, & indiviso; quam inde omnes fideles unanimiter profitentur in Symbolo, quod canit Ecclesia.

Specialia adversus Judæos.

Leet ea, quæ huc usque deduximus ex veteri Testamento, vim habeant etiam contra Judæos, qui illud admittunt: quia tamen dicunt, non alieno sensu illud interpretari, ut hoc ipsis effugium præcludatur, contra ipsos sic arguo.

Judæi tenentur agnoscere, non sano, & legitimo sensu Scripturas veteris Testamenti interpretari, si antiquiores Rabbinii ante Christianismum natum eodem sensu, ac nos illas fuerint interpretati; atqui sic est: ergo. Major videtur necessitas ab ipsis concedenda: sicut enim nobis in præcipuis, & paribus nolunt assentiri, ita nec nos ipsis. Seligatur ergo iudices partium liberi, quales sunt ex sua gente, & Religione Doctores, qui ante Christianos Scripturas soscitati, & interpretati sunt. Et sanè, si hi fides detrectent, cui adhibebunt Scripturæ ipsi forte? Sed de ipso ejus sensu inter nos, & ipsos litigatur. Adde, quod si antiquiores, & primates Legis Mosaicæ Doctores in hoc præcipuo Religiosis Mysterio errassent, Sinagoga, totaque gens Judaica manifestissimum subisset erroris capitalis in fide periculum; quod omnino alienum videtur ab hac singulari providentia ac benevolentia, qua Deus gentem hanc nimium infelicem prosequutus est.

Prob. itaque Minor ex Galatino in opere, cui titulus *De arcibus Catholicæ veritatis* l. 2. c. 1. I. Rabbi Simeon Joahi filius in libr. qui Zohar dicitur super hæc verba Deuter. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est*, vel ut habet textus hebraicus, *Deus, Deus noster, Deus unus est*, sic loquitur: *Ait Rabbi Isha: audi Israël, Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus est antiquorum, hortus radicum, & omnium rerum perfectio, & dicitur Pater. Deus noster, profundus luminis, & fons scientiarum, que procedunt ab illo Patre, & Filius vocatur, Deus hic est Spiritus S. qui a duobus procedit, & vocatur mensura vocis: Unus est, & unum cum alio concludat, et colligat; neque enim unus ab alio dici potest, et propterea ait Congrega Israël hunc Patrem, et Filium, & Spiritum S. eamque fac unam essentiam, unamque substantiam, quia quidquid est in uno, est in alio, totus fuit, et totus est, totusque erit. Ait ibidem idem Rabbi Simeon: Hoc arcemum Filii non revelabitur unicuique, quò usque venerit Messias: Quia tunc, ut dicit Isaias, repleta erit terra scientia Dei, sicut aque mare operientes. Quibus sanè verbis nihil luculentius, nihil expressius nec ab ipsis Doctores Catholicis proferri potest ad firmendam veritatem Religionis nostræ. Dicit autem Messias dumtaxat adventente hoc Mysterium omnibus propagandum, propter propensionem populi Judaici ad idololatriam, qui conceptis tribus personis in una essentia adduci potuisset, ut tres deos adoraret.*

2. Idem Rabbi Simeon hæc verba Isaie 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, sic interpretatur Hebraicè: *Sanctus, hic est Pater; Sanctus, hic est Filius; Sanctus, hic est Spiritus S.*

3. Rabbi Jonathas, Isaielis filius, in paraphrasi Chaldaica, eundem textum sic interpretatur: *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus S.*

4. Idem Jonathas hæc verba Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, sic legit Chaldaicè: *Dixit Dominus Verbo suo.*

Verum quidem est, quòd non sic legatur modo in paraphrasi Chaldaica Jonathæ, eo quòd eam corrumperit recentiores Judæi; sed ita se legisse, assertit Galatinus in vetustissimo exemplari, *qui tempestate Judæi ex toto Regno Neapolitano usque Regi Catholici expellerentur.* Idem assent Lyranus, autè Theol. Billuart. Pars Prima.

conversionem Judæus; & in Judæorum libris versatissimus, super illud cit. Ps. 109. Et tandem in alio libro Judæorum, qui dicitur *Collectio sententiarum*, habetur, quòd *Targum*, id est Chaldaica translatio Jonathæ ben-Usiel sic exponat: *Dixit Deus Verbo suo, sede ad dexteram meam.*

5. Christus ipse, volens probare suam divinitatem Judæis ex illo Ps. 109. *Dixit Dominus*, &c. sic alloquitur Judæos Matth. 22. *Quid vobis videtur de Christo? Cujus Filius est? Dicant ei: David. At illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo, prosequitur Evangelista, poterat ei respondere verbum.* Ex quo Phariseorum silentio manifestè patet, constantem, & indubitam fuisse tunc apud Judæos opinionem, hunc Psalmum esse a Davide compositum, & hæc ejus allata verba de Messia, seu Christo fuisse dicta. Quod & pro indubitato supponit Petrus Act. 2. probans ex eisdem verbis divinitatem Christi, nullo Judæorum contradicente, licet nunc utrumque negent. Porro, hoc supposito, tenentur Judæi, agnoscere in Deo plures personas distinctas, utpotè unam alteri associatam, & sedentem ad dexteram alterius.

ARTICULUS III.

Solvuntur Objectiones.

Plura jam Hæreticorum argumenta inter probationes diluimus: alia, quæ supersunt, saltè præcipua, nunc sunt expendenda, & solvenda. 1. Proponemus objectiones ab auctoritate contra Trinitatem Personarum. 2. Objectiones ab auctoritate contra earum consubstantialitatem. 3. Objectiones a ratione contra totum mysterium.

§. I. Objectiones ab auctoritate Scripturæ contra Trinitatem Personarum.

Obijciunt 1. Veteres, & novi Sabelliani plura Scripturarum loca, quibus asseritur, quòd Deus sit unus, sit solus, nullus alius præter ipsum, & similia. Sed hæc non levitèr infringunt veritatem nostri mysterii. Non enim nos dicimus esse plures Deos, sed unum, & unicum in tribus personis subsistentem. Unde hi termini, *unus, solus*, & similes, excludunt multiplicatam divinitatis, qualem fingebant Paganæ; non verò Trinitatem personarum in una, & eadem numero divinitate subsistentium, ut credunt Christiani.

Obijciunt 2. Ea omnia loca, in quibus Christus dicitur *Creatura, factus, subjectus Patri, minor Patre, &c.* Ex quibus inferunt, cum non esse Deum, subindeque unam tantum esse personam divinam æternam, que ex connotatione diversorum effectuum dicitur Pater, Filius, & Spiritus S. Sed quia hæc eadem modo dicitur de Consubstantialitate, & Sociniani contra divinitatem Filii, de his modo dicitur de Consubstantialitate.

Obijciunt 3. Sociniani specialitèr contra personam Spiritus S. Spiritus S. sæpè vocatur in Scripturis spiritus Dei; atqui spiritus alicujus non est persona ab eo distincta. 2. Act. 8. vocatur donum Dei; donum autem non est persona. 3. Act. 2. Spiritus S. dicitur effundi, quod non competit personæ. 4. 1. Thessal. 5. dicitur: *Spiritum nolite extinguere.* Et 4. Reg. 2. dicit Eliseus: *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus;* atqui extingui, & duplicari personis non conveniunt. 5. Matth. 3. dicitur baptizari in Spiritu S.; atqui id, in quo baptizamur, non est persona, sed aqua: ergo.

R. ad 1. D. Min. Spiritus alicujus non est persona ab eo distincta, si vox *Spiritus* sumatur pro ejus essentia, vel parte essentiæ, C. Secus, N. Multis ergo modis dicitur spiritus alicujus. Aliquando sumitur pro tota ejus essentia, ut cum dicimus *Spiritus Angeli*, spiritus significat totam essentiam Angeli; Angelus enim non est nisi spiritus, & sic non est persona distincta ab Angelo. Aliquando sumitur pro parte essentiæ, ut cum animam dicimus spiritum hominis, neque tunc spiritus est persona ab homine distincta. Aliquando autem sumitur pro persona distincta ab eo, cujus dicitur spiritus; ut Apocal. 3. *Angeli dicuntur Spiritus Dei*, ubi *Spiritus* indubiè importat personas distinctas a Deo. Similiter Gen. 1. ventus dicitur *Spiritus Dei*, ubi vox spiritus significat etiam, si non distinctam a Deo personam, saltè distinctum suppositum. Nihil obest igitur, quominus is, qui dicitur spiritus Dei, sit persona ab eo distincta. In subjecta itaque materia, si spiritus Dei sumatur absolute pro natura Dei, non est persona ab eo distincta; si autem sumatur relativè, & notionalitèr, est persona distincta: quia sic cum procedat a Patre, & Filio, necessariò ab eis personalitèr distinguitur. De quo infra.

Inst. 1. Cor. 2. Spiritus Dei comparatur spiritui hominis; atqui spiritus hominis non est persona: ergo.